

Les sources manuscrites de la théorie de la musique
(S. IX-XVI)

Catania, Biblioteche Riunite Civica
e Antonio Ursino Recupero (I-CATc)

D 39, f. 39r-v

Transcription : Christian Meyer
(février 2006 – rév. nov. 2017)

39r

¹Primo sciendum est quod disiuncta est vehemens transitus ex una deduccione in alia absque mutatione vel de una proprietate in alia. ²Et dicitur a disiungo -gis, quia disiungit proprietates et voces de uno loco in alio. ³Et de istis disiunctis habemus in cantibus tres modos, quia quedam sunt perfecte et quedam imperfecte et alie sunt medie. ⁴Perfecte sunt que ascendunt vel descendunt per speciem dyapente vel dyapasson. ⁵Ratio est quia cadunt in speciebus vel consonantiis perfectis. ⁶Imperfecte sunt que ascendunt vel descendunt per speciem que vocatur tonus cum diapente. ⁷Et iste apud Antiquos vocantur exaden maius et exaden minus, vel sexta maior vel sexta minor. ⁸Medie sunt ille que neque in speciebus perfectis neque imperfectis cadunt et iste vocantur eptade minus et eptade maius, septima minor vel septima maior et similia. | Exemplum inferius videbitur.

39v

³ quedam¹⁺²] quidam *cod.* | perfecte] perfecti *cod.* | imperfecte] imperfecti *cod.*
⁷ ex eadem maius et ex eadem minus *ms.*

⁹ Sequitur de coniunctis secundum Gregorium.

¹⁰ Notandum quod coniuncta fuit inventa duabus de causis. Primo causa necessitatis, secundo causa melodie.

¹¹ Causa necessitatis quando cantus exit extra positam manum per figuram que vocatur « corruf » et facit suum principium retro pollicem, et hoc quantum ad graviorem partem, vel quando cantus exit extra palmam positam per acutiorem partem cum figura que vocatur « crisis ».

¹² Notandum ad secundam partem <quod> fuit inventa causa melodie, et hoc propter rationem verborum vel formatione tonorum et ad minuendam duritiam. ¹³ Demonstratio est quia semper musica attendit ad consonanciam vel ad bemolliam cantus, et dicitur de coniungo, -gis, quia coniungit voces et mutat proprietates.

¹⁴ Sequitur *videre*.

¹⁵ Coniuncta nil aliud est nisi facere de tono semitonum et de semitono tonum, ut patet in speciebus que superius iamque dixi, et vulgariter nil aliud est coniuncta nisi facere de *mi fa* et de *fa mi*. ¹⁶ Et est coniuncta quedam acquisita canendi actualis attributio sub vel supra, <vel> intellectualis transpositio de loco proprio in alienum locum. ¹⁷ Et secundum hoc prima coniuncta signatur in ·H·mi per signum b mollis et dicimus ibi *fa*. ¹⁸ Ratio est quod semper musica attenditur ad consonanciam vel ad b molliam cantus, et habet suum principium retro pollice. ¹⁹ Et est notandum quod ubicumque ponitur istud signum b mollis (aliter b rotundum) in linea vel in spacio, debet deprimi sonus illius articuli per unum maius semitonum et debet dici *fa*.

¹⁹ linea] lingua *ms*.

²⁰Secunda coniuncta signatur in ·C·faut per signum # quadrum et debemus dicere *mi* et habet suum principium in ·A·re. ²¹Et est sciendum quod ubicumque ponitur istud signum # quadrum in linea et in spacio, debet alienari sonus illius articuli per unum maius semitonium et debet dici *mi*. ²²Et hoc intelligitur per totam palmam ubi invenirentur *fa mi* ad intellectum predictum et ista regula intelligitur quantum ad generales coniunctas.

21 unum] unus *ms.*